

UNIVERSA PÆNÉ CANONICA

DOCTRINA

QUINQUAGINTA PROPOSITIONIBUS

HISTORICO-CRITICO-DOGOMATICIS;

QUA FIERI POTUIT, COMPREHENSA, ATQUE  
IN REGALI HISPALENSI ATHENÆO

A JOSEPHO MARIA PARDO

AD ECCLESIASTICA MINORA OFFICIA

RITU MYSTICO INAUGURATO,

AC UTRIUSQUE JURIS BACHALAURO;

CUI PRÆSES ERIT MAGISTER SUUS

**FRANCISCUS IZQUIERDO,**

PRESBYTER MALACITANUS;

REGALIBUS A CONSILIIS SCHOLASTICUS DE FORO;

IN ILLUSTRE ADVOCATORUM HISPALENSE

COLLEGIUM ADSCRIPTUS;

IN RE CANONICA DOCTOR HISPALENSIS,

ET ABULENSIS;

GIENNENSIS DICECESEOS VISITATOR,

ET EXAMINATOR SYNODALIS;

AC IN EODEM HISPALENSI ATHENÆO

SACRORUM CANONUM PROFESSOR PRIMARIUS;

*Mané, ac Vesperé publicè tuenda.*

DUODECIMO KALENDAS APRILIS.

Ann. à Domin Incarn. M.DCC.LXXXVI.

Præbito permissu, & Regii Censoris adprobatione: HISPALI excudit  
Typificus Major, ejusdem Nobilissimæ, Fidelissimæque  
Civitatis.

*Si disputes, aut conferas, non sapit mihi,  
nisi sonuerit ibi Jesus.*

**Div. Bern. Serm. 15. super cantica,  
circa med.**

*Disputationibus veritas invenitur.*

**Ex Lege fin. §. Mixta. ff. de Muneribus  
& Honorib. Senc. Epist. 48.**

*Erubescimus, dum sine textu loquimur*

**Authent. de Trient. & Semiss.**

**§. Consideremus, collat. 3.**

**JESU NAZARENQ**

JUDÆORUM REGI. (a)

OMNIPOTENTIS DEI, ET MARIE VIRGINIS FILIO  
UNIGENITO (b)

UNIVERSORUM HÆREDI SINGULARI,  
ATQUE LEGITIMO, (c)

VETERIS, NOVÆQUE LEGIS MAGISTRO,  
ET DOCTORI SAPIENTISSIMO. (d)

VIVORUM, ET MORTUORUM JUDICI  
INTEGERRIMO, (e)

REGI REGUM, AC DOMINANTIUM DOMINO  
SUPREMO, (f)

SACERDOTI MAGNO, PONTIFICIQUE  
MAXIMO, (g)

IN CUJUS NOMINE CUNCTORUM OMNE  
GENUFLECTITUR; (h)

A 2

AD

---

(a) Marci 15. 12. Joann. 18. (b) Joann. 1. 1. (c) 1. Patr.  
3. (d) Sap. 10. 10. (e) Joan. 5. 22. 27. (f) Timoth. 6. 15.  
(g) Psalm. 104. 107. (h) Isaia 45. 10. Hæbr. 4. 5.

AD TUOS IGITUR PEDES SACRATISSIMOS,  
( O PATER! ; O HOMINUM DIVUMQUE ÆTERNA  
POTESTAS!

; O ET PRÆSIDIUM, ET DULCE DECUS  
MEUM!)

QUI VERÈ LANGUORES NOSTROS IPSE TULISTI  
& dolores nostros ipse portasti (i) demisso animo  
provolutus, stupefactus, tremebundus

HAS THESES EX SACRIS FONTIBUS

DEPROMPTAS

DICAT, OFFERT, CONSECRAT.

Ignorantium omnium ignorantissimus  
indignissimusque Sacerdos, &  
inter peccatores primus

*Franciscus Izquierdo.*

DE

---

(i) Isaiaë 53. 4e

# DE ECCLESIA.

1.

**E**

**ECCLESIAE**, quæ est *Universitas hominum colentium Deum una, eademque professione doctrinae fidei, & morum; itemque protectione observantia divinarum legum sub regimine, & cura Antistitum Divina ordinatione præpositorum*, est origo tam alta, ut eam à sexto Creationis Mundi die rectè ducamus, quo scilicet Deus Pater Omnipotens Adamum representantem in se omnium fidelium coetum ad imaginem suam creavit. (a)

2. Verum quoniam *Justitia, & Pax osculate sunt*, (b) eo usque pervenit Sacerdotii, & Imperii concordia, ut justissimè persuassum Nobis habeamus, Ecclesiæ curam *Supremæ Regiæ Majestati* esse commendatam.

3. Undè licet Servator Noster Jesus-Christus Ecclesiam suam Episcopis primò, ac principaliter commendarit, ut ejus autoritate divina Canones condere possint, Supràma tamen Regum Majestas Episcopos ipsos ad eorumdem canonum observantiam vi deffentionis, & custodiæ Regibus competentium omnino adigere valet; quam obrem à Regibus Ecclesiastica Statuta, consentiente tamen

---

(a) *Genes. cap. 1.*

(b) *Psalm, 84. v. 11.*

men Ecclesia, manare jam observavit Antiquitas. (c)  
 4. Ergo Principes Sæculi non nunquam intra Eccle-  
 siam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem  
 potestatem disciplinam Ecclesiasticam maniant, ut quod  
 non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ Sermonem,  
 Potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. (d)

## DE FONTIBUS JURIS Canonici.

### DE PRIMO FONTE Sacra nimirum Scriptura.

5. **T**ANTA veteris, novique fœderis autoritas,  
 ac veneratio ab omnibus est exhibenda, ut  
 Prophæticos, & Apostolicos Libros, juxta Ecclesiæ  
 Catholicæ mentem intellectos *verum-esse Verbum Dei*  
 sta-

---

(c) Ut videre est in titulis codicis Justiniani, ejusque  
 Novell. 6. coll. 1. in princip. ubi leges pro disciplina Ec-  
 clesiastica à se constitutas in Provinciis publicare voluit:  
 Necnon & in Canonibus Synodi Francofordiensis, octa-  
 vo sæculo circiter exeunte celebratæ, cujus Canonibus 4.  
 6. 7. 9. & 10. de Imperatore Carolo Magno sic habetur:  
*Statuit Piissimus noster, consentiente Synodo, &c. Statutum est*  
*à Domino Rege, & Sancta Synodo, &c.* (d) S. Isidor. lib. 4. Sen-  
 tent. cap. 51.

*stabilemque Fidei Regulam statuamus.*

6. Licet verissimum sit sufficienti Legis Christianæ per Apostolos promulgatione Cæremonialia Hebræorum præcepta abolita fuisse, velut Theologorum uniforme expeditur Juditium, Catholica tamen Ecclesia, Apostolorum vestigiis insistendo, haud pauca adoptavit, cæterum non ut Hebræorum fragmenta.

7. Sicut pro præceptis purè moralibus, & Philosophorum traditionibus in sola ratione naturali existentibus, in corpore Canonum contentis, perfectè intelligendis, necesse est, ut fiat *conversio introrsum*, sive *ad cor*; Ad hæc; sicut pro juris naturalis positivi intellectu utilis est *conversio deorsum*, seu *ad conditionis humanæ multiplici-  
tatem*, *Statutumque varium*; sic in dubiis emergenti-  
bus circa Fidei articulos, & Sacramentorum traditionem, quam etiam partem in Canonibus invenimus contentam, fieri debet *Conversio retrorsum*, sive *ad Theologicam disciplinam*, ad quam spectat finalis, & certa decissio.

## DE SECUNDO JURIS

### *Canonici Fonte*

#### *Nimirum de Conciliis.*

8. **E**TSI cunctas apud Gentes Sacra certo jure constituta semper fuerint, & maxima duo *sint dona hominibus à superna collata clementia, Sacerdo-  
tium,*

*tium, & Imperium*, (e) undè in Ecclesia Legislativam agnoscimus potestatem, & jurisdictionem, quia tamen Roman. Pontifex Ecclesie totius *caput* est, & *Primas*, id circò *Sanctissimi jus esse, & quidem jure divino Episcoporum generales indicere cœtus*, græcè *Synodos*, latinè *Concilia*, ubi de *Fide, Moribus, Disciplina agendum*, propugnamus, *cæterum Principum Christianorum interveniente consensu.*

9. Quum Regula Fidei una omninò sit sola, immobilis, & irreformabilis, Tertulliano teste, (f) & cui nihil addi, detrahi ve possit, (g) indè deffendimus cuncta Concilia in Fidei rebus, Morumque doctrina convenire debere; in rebus verò ad disciplinam spectantibus, variare, (h) mutare (i) dispensare (j)

10. Eruditissimorum Parisiensium Theologorum non obstante generali sententia de Concilii generalis potentia supra Papam, Nos constanter asseveramus supra Concilium generale esse Pontificem Romanum; quia in persona Petri super omnes totius Mundi Ecclesias est Vicarius Christi constitutus, adversus Martini Lutheri propositionem damnatam. (K)

11. Conciliorum generalium, in quibus canonica forma videtur servata, tam in libertate Patrum circa judicia  
pro-

(e) Imper. Justin. dict. Novell. 6. in princip.

(f) De Virgin. veland.

(g) Can. 25. c. 1. q. 7. (h) *Cum experimento aperitur quod latebat.* S. Aug. lib. 3. Confes. c. 7. cap. 8. de Cons. & Affinit. ubi: *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana.*

(i) Can. 15. c. 1. q. 7.

(j) Can. 16. c. 1. q. 7.

(K) A Leone X. Propositio damnata, quæ numero est 25.



prolata, (l) quàm in sufficienti examine ad Sacrae Scripturae Normam, (m) necnon & in morali judicantium unanimitate, (n) non ea mens unquam fuit, ut *Regiis Juribus* præjudicium inferretur.

12. Imperio Romano in ruinam evecto, ac ex ejus ruinis variis per Europam Regnis erectis, Nationalia Concilia celebrari cœperunt, vel ad Fidem roborandam, vel ad communem universae Nationi disciplinam reparandam, & semel in anno, etiam in Hispania, (o) & postquam Primatum dignitas in Occidentali Ecclesia fuit imminuta, omninò cessarunt.

13. Concilia Provincialia ab Apostolis orta, (p) primis Ecclesiae exordiis bis in anno celebrata, (q) & à Justiniano Imperatore primum, (r) dein à Quini-Sextae Synodi tempore semel tantum in anno (rr) etiam in Hispania, (s) in quibus de moribus moderandis, excessibus corrigendis, controversiis componendis, Episcoporum causis terminandis, (ss) et quorum convocandorum potes-

| B

tas

(l) Quia de re Patres Ariminenses inducit S. Hieronymus adversus Luciferianum.

(m) S. Athanas. de Synod. Nicæn. cap. Ad Afros. Sozomenus Histor. lib. 1. cap. 12.

(n) Ut Pius IV. Patres Tridentinos monuit, in Epistol. *Quod eas tantum ederent definitiones, in quas Patres unanimi consensu conspirarent.* (o) Conc. Tolet. 4. can. 3. ubi: *Ut saltem semel in anno Concilium celebretur.*

(p) Actor. cap. 20. (q) Conc. Nicæn. can. 5. Antioch. can. 20. Calcedon. can. 18. & Trident. sess. 24. c. 2. de Reform. (r) Novell. 137. cap. 4. (rr) Can. 8. (s) Concil. Tolet. III. can. 18. (ss) Conc. Tolet. X. Decreto de Pothamio, & Concil. Tolet. 16. can. 9. & 10.

tas est penes Metropolitanos, in consulto Rege, præsertim in Hispania credimus celebrari nefas: Cæterum obiter non possumus non fateri, vitiorum omnium incrementum, multorumque Ecclesiasticorum ignorantiam non aliundè provenire, nisi à celebrationis Conciliorum omissione. (sss)

14. Concilia Diocesana jure ab Episcopo indicta, ubi de *moribus reformandis*, necnon de *Capitibus Clerum attinentibus*, vel de *Synodi Provincialis Decretis Evulgandis*, sæpius in anno, Constantini Magni temporibus, etiam in Hispania, vidimus celebrata. (t)

## DE TERTIO JURIS

*Canonici Fonte;*

*Seu de Roman. Pontific.*

*Constitutionibus.*

15. **P**ONTIFICIAS Constitutiones Ante-Siricianas (quas putridas, infectasque merces olfacimus) tanquam apocriphas à Viris eruditissimis adhuc

---

(sss) Uti clarè colligitur ex Synodo Toletan. 11. in Præfatione.

(t) Velut colligitur ex Synod. Carthag. 4. can. 23. ex Synod. Illiber. can. 74. Synod. Toletan. 1. can. 19. & Synod. Hispal. 2. can. 6.

huc in undecimo Ecclesiæ sæculo nostra non recepit Hispānia. Eo namque sæculo Provinciales Synodi fuerunt coactæ, non expetito prius à Romano Pontifice ad sensu, necessario per Ante-Siricianas requisito. (tt)

16. Ut Constitutiones Pontificiæ perfectam vim obligandi subditos habeant, necessaria est earum promulgatio.

17. Licet ad Regalis Majestatis jura Ecclesiæ regimen non spectet, (u) nihilominus ex Alphonsi Primi, Castellæ Regis Constitutione, qua cavebatur in Hispania, *ne fideles bona sua immobilia in Ecclesiarum manus transferrent*, (a) & quam ad Indiarum Regna Supræmus Indiarum Senatus extendi voluit, (b) ac ejus generis constitutionibus aliis, affatim evincitur, *Christianos Principes posse tanquam capita corporis Politici condere leges, quæ licet directè in Laicos tendant, Politiam tamen Ecclesiasticam constituent.*



B2

DE

(tt) Ut Legionensis, ann. 1012. Cojacensis, ann. 1050. Compostellana, ann. 1056. Jacensis, ann. 1063. &c.

(u) Quia Imperium humanis tantum presidet. Novell. 6. col. lat. 1. in Præfation.

(a) Sanct. 4. cap. 32. tit. 1. lib. 4. vulgò *Autos Acordados*.

(b) Adnot. 4. ad titul. 1. lib. 4. vulgò *Autos Acordados*.

# DE QUARTO JURIS

*Canonici Fonte,*

## *De SS. Patrum scilicet scriptis.*

18. **Q**UAMVIS Antiquitas SS. Patrum, Ecclesiaeque Doctorum penè oculare reddat testimonium, non omnia tamen eorum scripta pro *Legibus* sunt habenda, sed quæ aut corpore Juris inclusa, aut constitutione alicujus Papæ comprehensa, juxta utriusque Juris affatum: *Nostra fecimus, quibus nostram Auctoritatem impartimur.* (c)

19. In Fidei ergo, Morumque rebus, si Conciliorum Decreta, ac Pontificum Constitutiones defuerint, SS. Patrum sententiæ instar Sacræ Legis habentur, (d) eorumque communis sensus Catholicorum

Dogmatum certam fidem

facit. (e)



*DE*

(c) Leg. unic. §. Neque, Cod. de Veter. Jur. Enucleand.

(d) Can. 1. & can. 3. d. 20.

(e) Illust. Melch. Canus de Locis Theolog. lib. 7. cap. Præsertim 3.

(9)  
**DE TRIPLICI JURIS**  
*Canonici Objecto.*

20. **F**ONTIBUS jam indicatis, ad materiam, circaquam Canonicum Jus versatur, necesse est, Orationem nostram converti. Omne namque Jus vel ad Personas pertinet, vel ad Res, vel ad Actiones; (f) nam parum est Jus nosce, si Personæ, quarum causa Jus constitutum est, ignorentur. Igitur quod Domitius Ulpianus de publico Romanorum Jure dicebat, (g) id ipsum Nos edicimus; Sacrosanctæ nimirum, & Augustæ Civitatis, seu Reipublicæ latè per Orbem diffusæ statum in *Sacris, Sacerdotibus, & Magistratibus* consistere: Est autem Jus Canonicum; *Quod ab Ecclesia per Episcopos, maxime verò per Summum Pontificem ad Christianos in Fidei, Morum, Disciplinæ Regulis informandos constitutum, vel adprobatum.*

**DE PRIMO JURIS**  
*Canonici Objecto;*  
*Nimirum de Personis.*

21. **E**Xqua profectò immediatè præfata doctrina, quisque facilè videt primum Juris Canonici objectum confici à *Personis*. Itaque spiritale foedus  
con

---

(f) §. fin. Institut. de Jur. Nat. Gent. & Civil. (g) Leg. 1. §. Publicum, ff. de Just. & Jur.

conjugii inter Episcopum, & ejus Ecclesiam contractum, quum non solum initiatum, & ratificatum, sed etiam instar carnalis matrimonii videamus consumatum, (h) id circò dicimus 1. Illud initiari *Electione*, quæ ab incunabulis Ecclesiæ adusque sæculum octavum, tam Rom. Pontificis, quàm cæterorum Episcoporum à Clero simul, & Populo facta, (i) & cui in Hispania sæculo septimo consensus Regum nostrorum necessarius erat, (j) (undè Nominationem Regum ad Episcopatus hodiernam ad illo ævo originem trahi non malè credimus) quamvis Apostolicis reservationibus sequutis, Populo, ac Clericis exclusis, à majore solum, & saniore capituli parte eligeretur Antistes. (k) Dicimus 2. illud ratificari *confirmatione*, quæ temporibus priscis ad Concilium Provinciale, seu ad Metropolitanam pertinebat, (l) & post reservationes ad Papam, (m) hoc Episcopo præstat, quod ea, quæ ad Jurisdictionem attinent, administret. (n) Demum dicimus *consecratione* consumari à tribus Episcopis peragenda, (ñ) nisi Præsul ad Indos fuerit electus; tum enim, quum ex Pauli Papæ Quinti mandato (o) non valeat in Hispania consecrari, sed præcisè ad Indos teneatur transfretare, sufficit, ut ab uno Episcopo, ac duabus Dignitatibus consecretur.

- 
- (h) Cap. 4. de Transl. Episcop. (i) Actor. cap. 1.  
 (j) Concil. Tolet. 12. can. 6. qui est canon 25. d. 63.  
 (k) Cap. 37. de Election. (l) Ex Concil. Nicæn. can. 4. & 6. quibus concors est canon 5. d. 64. (m) Cap. Quam sit 6. & cap. Cupientes 16. de Elect. in 6.  
 (n) Cap. 9. de Election. (ñ) Per totam distinct. 64. & seq.  
 (o) Dato sub Annulo Piscatoris, die septima Decembris, anno 1610.

22. Cæterum Archiepiscopi, quo nomine olim *Primates*, (p) necnon & *Patriarchæ*, imò & aliquando *Roman.* ipse *Papa*, (q) ac tempore hodierno *Metropolitæ*, signabantur, sed non omnes in Hispania, nisi post Concilium Ovetense initio sæculi duodecimi celebratum, (r) ante receptionem Pallii (per quod Pastoralis Officii plenitudo designatur, (s) et quo extra Provinciam uti nefas, (t) præter Archiepiscopum Compostellanum, (u) obedientiam, & fidelitatem juramento Pontifici Summo promittere tenentur, ac ea, quæ potestatem Ordinis spectant, peragere non valent, imò nec nomen Archiepiscoporum merentur. (x) Pallium autem intra tres menses petendum est enixis precibus effussis *instantèr, instantius, & instantissime.* (y)

23. Periculosa Doctrina est asserere, Apostolicis Reservationibus circumscriptis, Archiepiscopos, vel Episcopos in suis Diocesisibus respectivis omnia ea agere posse, quæ Summus Rom. Pontifex in toto peragit Orbe.

24. Quum Beneficium quodvis detur propter officium, (z) id est propter functionem aliquam Ecclesiasticam, profectò adparet, præsentiam Clericorum, qui eo officio fungi debent, ex natura rei requiri; undè inter Beneficiorum onera, illud in primis est servandum, ut quisque  
in

---

(p) Ex S. Isidoro can. 1. dist. 21. (q) Ab Imperat. Justinian. in leg. 7. & 8. eod. de Summ. Trinitat. & Fid. Cathol.

(r) Post annum scilicet 1115. juxta Cardinalem Aguiriam, tom. 3. Concilior. (s) Cap. 4. de Election.

(t) Cap. 4. de Autor. & Usu Pallii.

(u) Cap. 5. de Tutor. & Usu Pallii.

(x) Dict. cap. Significasti 6. de Election.

(y) Ex can. 2. dist. 100. (z) Cap. fin. de Rescript. in 6.

generales arbitrarios, in quos Episcopalis Sarcinæ rejecisse partem; quales in Oriente Patri suo S. Gregorius Naziancenus, (i) Eusebio Cæsariensi S. Basilius, (j) Flavio Antiocheno, S. Chrisostomus, adhuc Diaconus; (k) quales item in Occidente S. Ambrosio Mediolanensi Simplicianus Presbyter, (l) Valerio Hipponensi clarissimum Ecclesiæ Lumen S. Augustinus, Presbyter, (m) qui omnes plerumque Coadjutores Episcoporum simul erant: Quæcum ita sint, Nos in præsentiarum facile defendimus, Modernos Episcoporum Vicarios generales, & introductos esse propter crescentem supra modum Archidiaconorum ambitionem, & sæculo duodecimo Juniores esse; imò in Hispania non nisi sæculo decimo quarto incunte. (n)

27. Adversus impios hæreticos Vigilantium, & Jovianum, jam Sæculo 4. à Maximo Doctore S. Hieronymo confutatos, pestiferosque Sæculi 12. Albigenses; nec non adversus Anglum illum hypocritam Vvicleffum, cui Bohemi Hussitæ pro viribus, & armis Sæculo 15. consenserunt; ac Sæculi 16. recentiores heterodoxos affatim edoctos ab excuculato Monacho Martino Lutthero, blasphemantes omnes, Monachorum, ac Ordinum Mendicantium statum, quasi per eum humanæ Societatis jura lædi arbitrantes, inutilem, imò perniciosum Reipublicæ esse: Nos ( quum simus considerantes in Systemate

C

Chris-

---

(i) Baronius ad ann. 366. n. 10.

(j) S. Gregor. Nazianz. oration. 2. in Laudes Basiliæ.

(k) Baronius ad ann. 382. n. 48.

(l) S. Ambrosius epist. 2. ad Simplicianum.

(m) Baronius ad ann. 391. n. 22.

(n) Synod. Vallisoletan. ann. 1325. cap. 7.



Christiano, vitam contemplativam divinarum perfectionum, & Myfteriorum nostræ Fidei, ex sui institutione natam esse ad abstrahendum suos Professores ab omni inordinato amore sui, & omnium creaturarum, atque perducendum ad castum amorem erga Deum, ejusque familiarem conversationem, in quo Christiana consistit perfectio; atque hinc Ecclesiæ Christi interesse, habere quosdam, qui suis orationibus benedictionem divinam impetrent erga Ecclesiæ multa membra Sæcularibus Curis vitam impendentia, ne ab amore Deo debito abstracta, in transversam suæ salutis viam abripiantur) constanter asseveramus dogmaticam propositionem sequentem; *Status Monachorum, aut etiam Ordinum Mendicantium, Contemplationi, & Proximorum Saluti vacans, nedum salutaris, ac utilis suis Professoribus est, verum & toti Ecclesiæ Jesu-Christi.*



# DE SECUNDO JURIS

*Canonici Objecto;*

*Nimirum de Rebus;*

*Ac Primum de Sacramentis.*

28. **Q**UUM de Personis breviter actum sit, recta methodus exigit, ut de secundo Juris Canonici objecto, de *Rebus* nimirum, disseramus; quas non solum *temporales* animadvertimus, qualia *prædia*, quales *fructus decimales*; sed etiam *Spirituales*, & quidem *Corporales*, qualia *Sacramenta*, de quibus primum Sermonem instituimus, edicentes; quod, quum præcipua Christianæ Legis præcepta nova non sint novi Juris vincula, sed vel ipsius Juris naturæ explanationes, vel solida, & divina adjumenta, quibus illorum exercitium facilius reddatur, hujus generis se habent Sacramenta à Christo Domino Instituta ad virtutes omnes, & præsertim *Fidem*, *Spem*, *Charitatem*, Christiana humilitate excitandas, fovendas, firmandas, quibus ad invisibilia futura seriò animum intendamus, idcirco defendimus, *Sacramenta Novæ Legis esse invisibilis gratiæ visibilia signa* (nn) à Christo Domino ad nostram

C 2

*jus-*

---

(nn) Ex can. Multis 84. §. Sacramentum. c. 1. q. 1. can. 32. de Consecr. d. 1, & Conc. Trid. sess. 7, c. 6. & 7. de Sacrament,

*justificationem instituta, quorum fundamentum, & Janua est Sanctum Baptisma, quod à marito proprio legitimo filio in necessitatis articulo collatum, licet spiritalem cognationem faciat maritum contrahere cum uxore, non tamen efficit, quod ab uxore maritus veniat separandus.*

29. Quum qui per actuale peccatum innocentia baptismali exciderunt, ac in Christo vivere desierunt, proprio se judicio condemnantes, per *manuum impositionem reconciliatoriam*, (ñ) seu per laboriosum baptismum, (ññ) quasi ex naufragio arrepta tabula (o) ad Portum perveniant; perpetuaque sit Catholicae Ecclesiae Fides, *Pœnitentiam ad gratiam recuperandam esse necessariam*, hinc adversus hæreticos Vvaldenses, Vvicleffitas, & Bohemos Hussitas, Pœnitentiam à Ministro, etiam in læthali noxa constituto, validè administrari posse dicimus, quæquidem sit contra Zuvvinglium novæ Legis Sacramentum, & quidem distinctum à Sacro Baptismi Sacramento contra Calvinum; quidquid blasphemant Novatiani à Sæculo 3. negantes Ecclesiae Sponsæ Christi ullum jus esse reconciliandi peccatores, adversus quam blasphemiam conditum fuisse credimus Canonem *sic dictum Apostolicum, de Admittendis ad Pœnitentiam Lapsis.* (p)

30. Quum ex tribus Pœnitentiæ generibus, Solemnis, seu Canonicae, injunctæ in capite Cinerum, Publicæ, & Privatæ, secundum pro peccatis occultis post  
Sæ-

---

(ñ) Concil. Carthag. 4. can. 76. & Concil. Arausican. 1. can. 1. & 5. (ññ) Conc. Trid. sess. 14. c. 2. (o) Id. Concil. Trid. sess. 14. can. 12. de Pœnit. (p) Can. 51.

Sæculum octavum in desuetudinem abiret, publicorum peccatorum Episcopis solis pœnitentia reservata (salva manente praxi ab Ecclesiæ exordio secretè confitendi) non absre credimus ab sæculo octavo occultorum criminum Pœnitentiam Parochis concessam fuisse, excipien-  
dique jus fidelium confessiones ipsi beneficio Parochia-  
li *immediate* adnexum haberi cœpisse, (q) à quo Sæculo ad usque Concilium Lateranense 4. quisque fidelis ad-  
strictus erat proprio Parocho confiteri, etiam in Hispa-  
nia; (r) ergo Sæculo 13. aliis, quam Parochis absol-  
vendi facultas cœpit indulgeri, tamquam Sacramenti Pœ-  
nitentiæ extraordinariis administris.

31. In venerabili *Eucharistiæ* Sacramento, perquod beneficiorum recordatio designatur, & quo sanè nulla major, ac dignior Deo Patri gratiarum actio reddi potest, (s) tria notatu digna inveniri asseveramus: Primum, sci-  
licet, *Sacramentum* esse, non *Rem*. Secundum, *Rem* esse, simul, & *Sacramentum*. Tertium, *Rem* esse, & non *Sa-  
cramentum*. Quod idem est, ac Primum esse *Sacramen-  
tum geminæ rei*. Secundum esse *Sacramentum unius, &  
alterius Rem*. Tertium esse *gemini Sacramenti Rem*. Id  
circò concludimus, sustinendo, *Divinissimam Eucharis-  
tiam duplici signo, & re duplici constare*.

32. Omnis utriusque sexus fidelis, qui juxta Conci-  
lium Later. 4. *ad minus in Pascha, Sacramentum Eucha-  
ristiæ suscipere tenetur*, (t) si propter dilatam absolu-  
tio-

---

(q) Concil. Trid. sess. 21. cap. 4. de Reform. Selvagius Institut. lib. 2. tit. 6. n. 4. (r) Cap. Omnis utriusq. de Pœ-  
nit. & Remis. & Leg. 21. & 22. tit. 4. part. 1. (s) Can. Nihil 8. de Consecr. dist. 2. (t) Cap. Omnis de Pœnit. & Rem.

tionem à confessario, ut experiatur ? An propositum confitentis sit firmum ? in Paschate non communicaverit, excusatur à transgressione Præcepti Communionis, vitabit que pœnas præscriptas in capite *Omnis utriusque sexus fidelis, &c.*

33. Et si Ecclesia carere nequeat Sacramento ipsius *Ecclesie Sobolem Propagantium*; tamen *voluntariorum* est Matrimonium, in quo affirmamus, duplicem esse rationem, contractum nimirum certis legibus inter conjuges custodiendum, & Sacramentum; cujus causa tam ob dignitatem supervenientem, quàm ob spiritales effectus fidelium conjugia connubiis infidelium multò præstant, undè *probabilius esse* propugnamus, *Sacramenti Matrimonii Administrum non Contrahentes ipsos, sed Sacerdotem esse.*

34. Signis dubiis impotentiae tantum existentibus, & meliùs juridicè probatis, etiam triennii experientia non expectata, matrimonii vinculum solvi potest.

35. Esto Ecclesia juxta Apostoli Pauli doctrinam, (u) secundas Nuptias numquam improbaverit, quas Montanistæ, & Novatiani damnarunt, (x) tamen per aliquot annorum curricula, & quidem à Sæculo 5. (z) in offenso cucurrit pede Hispaniensis Ecclesie prohibitio *de Episcoporum, Presbyterorum, ac Diaconorum viduis iterùm maritandis sub excommunicationis pœna usque ad extremum vite tempus*; ut scilicet honestam præcedentis mariti memoriam illæsam servarent: (a) Quodquidem decretum

---

(u) Epist. 1. ad Cor. c. 7. v. 39. & Epist. ad Roman. c. 7. v. 2. (x) Tertullian. de Monogamia, & Synod. Nicæn. o. 8. (z) Synod. Tolet. 1. can. 18. (a) Dict. Synod. Tolet. 1. can. 18.

tum prohibitorium benè extendi ad Regum etiam viduas credimus. (aa)

36. Decimæ, quæ Ministris Ecclesiæ solvuntur, sunt *Res spiritualibus annexæ*, & quodammodo generis mixti; ipso quidem jure *incorporales*, præstatione tamen *corporales*, & *temporales*, de quarum solutionis obligatione id edicimus, nimirum; quod *Quamvis præstatio alimentorum sacris Administris debita sit jure naturali, undè præceptum Mosacum de decimis solvendis sub hoc respectu morale fuit, à Christo minime abrogatum, nihilominus sub respectu Quotæ solvendæ, provenit obligatio non à jure divino positivo, sed tantum ab humano, & quidem Sæculo 5. recentiori.* (b)

37. Sepeliendi usus hodiernus in cœmeterio promiscuos quosque, reddita per Constantinum Ecclesiæ pace certissimè obtinuit, ac Sæculo 4. circiter exeunte (c) per Magnum Theodosium fuit sublatus, (d) sed tandem Sæ-

(aa) *Quis enim, ait Synod. Tolet. xiii. can. 5. equanimiter ferat defuncti Regis conjugem, etiam Successoris, alieno, postmodum connubio uti? .... Quid ergo si moriuntur Principes, numquid inhonorandas relinquunt sui corporis partes? Quam Toletanam Sanctionem, Synod. Cæsaraugustan. iii. ann. 691. can. 5. confirmat, & ait: ut infrà claustra Monasterii jugi sedulitate persistens, atque Sanctimoniam vitam peragens, de Regno temporali .... ad Regnum æternum mereatur pervenire.*

(b) A Concil. Matiscon. 2. ann. 585. can. 4.

(c) Nimirum ann. 381. (d) Leg. 6. Cod. Theod. de Sepulcr. viol. *Ne fetore ipso corpora viventium contacta inficerentur, ait D. Isidorus lib. 14. Origin. cap. 12.*

Sæculo 8. conualescere cœpit, sublata Lege Theodosiana. (e)

## DE TERTIO, ET ULTIMO Juris Canonici Objecto;

### Nimirum de Actionibus.

38. **P**ERSONARUM, & Rerum Juribus pertractatis, optimus exigit ordo, ut ad *Judicia*, quæ tertium Canonicae doctrinae conficiunt objectum, & quorum instituendorum causa condita fuere jura, nostrum animum adpulamus; in quo quidem objecto cum Ecclesiastica Jurisdictionis amplitudo, tum Judiciorum forma, necnon Criminum, poenarumque discrimen, & conditio brevitate possibili veniunt tractandæ. Supposita igitur Jurisdictionis *Fori interioris*, & *exterioris* potestate bina, ab ipso Christo Ecclesiae data, (f) &

---

(e) Per Legem Leoninam eodem Sæculo octavo promulgatam in Novell. 53. qua data fuit plena libertas, vel intrâ, vel extrâ urbem sepeliendi.

(f) Matth. 28. v. 18. & 19. illic: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes.* Joann. 20. v. 22. & 23. ubi: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Matth. 18. v. 15. 16. & 17. *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* Actor 20. v. 29. *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, &c.*

& cujus Episcopi omnes sunt depositarii constituti, (g) qui non solum primo Ecclesiae ævo, sed etiam medio, omnia Ecclesiastica negotia sine forensi strepitu pertractarunt, indè deffendimus, *Judiciorum Formulas & Decretalibus oriri.*

39. Undè, quum Judiciorum divissio supræma ex varia Judicum jurisdictione sumatur in *ordinaria, & extraordinaria, sive delegata*, inter quæ nonnullæ differentia notantur, indè quasi manu ducimur ad propugnandum, *morte Papæ delegantis delegatam jurisdictionem re integra finire.* (gg)

40. Et quum Judicia, in quibus de re familiari agitur extra criminis causam, *Civilia* dicantur, quæ per *in Jus vocationem* auspiciantur, atque indè Reo datur exceptiones opponendi facultas, quas Actor ipse cum replicationibus, tum petitionibus mutuis elidere valet, quibus scrupulis succedit Litis contextatio, calumniæque juramentum; postea sequuntur probationes, quibus in causa conclusum, deffinitiva profertur sententia; ad hæc, licet ad sententiæ prolationem Judex in causa plenè instructus esse debeat, (h) undè celeriter sententiam dicendo, causæ merita plenè examinare non videtur, (i) licet denique in Actibus humanis celeritas improbetur, velut in *Electiõne*, (j) *in sententiis Principum ferendis, & exequendis*, (K) *in Decreto pro rebus Minorum alienandis*

D

inter-

---

(g) Epist. ad Ephes. cap. 4. (gg) Cap. Relatum. de offic. delegat.

(h) Can. Cum judicantem c. 30. q. 5. Leg. Judices 9. Cod. de Judic. Leg. Qua ff. de Judic.

(i) Can. Miramur, dist. 61. (j) Cap. fin. de Elect. in 6.

(K) Can. Deus Omnipotens, c. 2. q. cum multis aliis.



*interponendo, (l) Lites tamen celeriter terminari debent.*

41. Judiciorum Civilium Ordine jam aliquantulum explanato, confestim adgredimur tractaturi, cum de criminali Judicio incohando, tum de criminibus ipsis, circa quæ Criminale Judicium versatur; necnon de Reorum condemnatione, criminumque Canonicis pœnis, si-  
vè per *Accusationem*, quam *Inscriptio* præcedere debet, (m) si-  
vè per *Denunciationem*, quam debet præcedere *Amica Monitio*, (n) si-  
vè demùm per *Inquisitionem*, cu-  
jus præcipuum est, ut præcedat *Publica Fama*. (o) Post-  
quam ergo Civilium Judiciorum forma in Ecclesiam in-  
ducta fuit, (o) solennes formulas, ambages que multas  
hodiernum ordinem criminalem in Ecclesiastico Foro con-  
tinere videmus; quibus omnibus tramitibus absolutis ad  
absolutoriam, vel condemnatoriam sententiam perveni-  
tur, quæ sententia, si non juri communi, sed Litigato-  
ris tantùm opponatur, licet iniqua, valida tamen est, &  
si ab ea intra decem dies appellatum non sit, tanquam  
res judicata, pro veritate accipietur. (p)

42. Quum ex duabus Lapideis Tabulis, quas ipse  
Deus in *Sina* per Mosem Hebræis dedit, & in quibus ip-  
sissima Juris naturalis mandata continebantur, quibus-  
que omnes omninò homines adstringuntur, prior adver-  
sus Deum peccata contineret, posterior adversus proxi-  
mum

---

(l) Leg. Magis puto 5. §. Non passim ff. de Rebus eorum, & c.  
(m) Cap. Super 16. de Accusat. (n) Can. Si peccaverit,  
c. 2. q. 1. (ñ) Cap. Qualiter, & quando 24. de Accusat.  
(o) Cap. fin. de Sent. & Re judic. ubi probatur Lex 3. Cod.  
de Sent. ex pericul. recitand.  
(p) Cap. 13. de Sent. & Re jud. cap. 1. eod. in 6. Leg. 207;  
de R. J. Leg. 19. tit. 22. Leg. 5. tit. 24. part. 3.

mum; id circò tota criminum tractatio in duo membra vēnit deducenda; primùm scilicet, de peccatis directò contra Deum, uti *Simoniam*, & alia, interquæ est Hæresis, seu *voluntarius error intellectus in Fide cum pertinacia voluntatis*: Undè si quis per jocum, aut animi levitatem verba adversus Ecclesiam, vel ejus dogmata proferrat, non est ut hæreticus censendus, quamvis secundùm suæ personæ qualitatem veniat puniendus. (q)

43. Sanctissimum, ac rectissimum *Inquisitionis Tribunal* (cujus Rex Noster Hispanus nedùm est *Protector*, verùm & *Patronus*, multis abhinc annis jam per suas litteras declaratus, (r) excogitatum, ac instauratum ab Innocent. Pap. III. non alio fine, nisi ad *Propagandam Fidem*, *stirpandasque Hæreses*, utpotè *Crimina Læsæ Majestatis divinæ*, (s) quæ tunc temporis ab impudentissimis *Albigensibus* in Provincia *Narbonensi* docebantur) tales habet *Judices delegatos*, ut ab eorum *Sententiis* adpellationes interponendi omnibus aditus præcludatur, & merito. (t)

44. Inter poenas, quibus à Sanctissimo Fidei Tribunali plectuntur damnati ob scelestissimum *Læsæ Majestatis Divinæ Crimen*, est etiam *Excommunicatio major* latæ sententiæ, quæ *privat hominem*, hac censuræ

D 2

spe-

(q) Veluti decernitur in *Collection. Tarraconensi*, lib. 5. tit. 6. cap. 1.

(r) D. Salgadus de *Supplicat. ad Sanctissim. à Litteris Apostolic.* part. 2. cap. 33. n. 52.

(s) Cap. *Ad abolendam*, & cap. *Vergentis*, de *Hæret.*

(t) Cap. *Ut Inquisitionis*, v. *Non obstantibus*, de *Hæret.* in 6. illic: *Non obstantibus, Appellationibus, seu proclamationibus prædictorum Nequitia filiorum.*

specie ligatum, *communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus* contra Martini Luttheri propositionem à Leone X. damnatam, (u) & quidem secundum veterem disciplinam clarè traditam in Canonibus *sic dictis* Apostolicis. (x) Imò aserere non dubitamus adversus hunc infamem Hæresiarcham dicentem: *Hæreticos comburi est contra voluntatem spiritus*, (xx) dogmaticam propositionem sequentem, satis agitatum Catholicos inter, & Heterodoxos, quorum omnium agmen ducit Hugo Grotius (y) cum ejus sequacibus recentioribus Protextantium Jure Consul-  
tis: *In Ecclesia Catholica Hæretici pœnis temporalibus, ac ipso etiam ultimo Supplicio jure damnantur.*

45. De secundo jam tractatus criminum membro sumus disputaturi, de Adulteriis nimirum, & Homicidio. Istud, igitur quisque videt, quod ex mente, & animo illud admitentis, vel est *voluntarium*, vel *casuale*, vel *necessarium*: Si voluntariè perpetretur, etiam in rixa, tunc dicimus Primò: *Asyli* Jure Sacro Reum non posse gaudere, eumque ab Judice Ecclesiastico, visso Proces-

SU

---

(u) Quæ numero est 23.

(x) Can. 44. *Episcopus .... Usuras à debitoribus exigens, ... Certè damnetur.* Concors est can. 1. dist. 47. In can. 45. *Episcopus, qui cum Hæreticis oraverit, tantummodò communionem privetur: Si verò tanquam Clericos hortatus eos fuerit agere, vel orare, damnetur.* Et deniquè in can. 63. *Si quis Episcopus .... Comederit carnes in sanguine animæ suæ, vel quid à foris captum, vel morticinum, deponatur.... Si autem sit laicus segregetur.* Cap. 8. cap. 9. & cap. 5. de Hæretic.

(xx) Est expræssa propositio 33. Martini Luttheri à Leone Papa X. damnata.

(y) In suo Opere de Jure Belli, & Pacis, lib. 2.

su Informativo, Sæculari Curiaè tradi, atque consignari debere, (y2) *indiciis ad torturam tantùm sufficientibus.* (y3) Secundo dicimus: *Asyli Sacri Jus in Hispania ad unam, vel summum duas Ecclesias esse restrictum, si Civitas populosissima sit, (y4) ut est nostra Hispalis fidelissima. Tale etenim facinus admitentes multùm distant à Charitate illa, quæ numquam excidit, (y5) & quæ homines universos invicem ex ipso naturali Jure veluti nexu devincit, atque unumquemque in Officio taliter continere debet, ut privata autoritate alterius vitæ insidietur; Imò propriam animam, ob honorem tuendum, malum vè vitandum, Nemo in discrimen adducere valet, (y6) etiam ob Castitatem servandam, quamvis Maximus Hieronymus videatur contrarius (y7) Augustino Parenti Magno, cujus sententiæ, uti palmam eripienti, (y8) festinanter subscribimus.*

(y2) Bened. Pap. XIII. in Bull. incipient. *Ex quo Divina;* cui concordat Clemens Pap. XII. in Bull. incipient. *Aliàs Nos.* Ann. 1737. Benedict. Pap. XIV. in sua Instruction. Pastoral. 41.

(y3) Citat. Bull. *Alias Nos, §. Ubi verò 10.*

(y4) Ex Novissima Constitution. Clementis Pap. XIV. die 12. Septembr. Ann. 1772.

(y5) Epist. 1. ad Corint. cap. 13.

(y6) S. Augustin. de Civit. Dei, cap. 18. & 19. Undè depromuntur Canones 3. 4. & 5. c. 32. q. 5. ubi Sanctus Doctor concludit: *Neque enim frustra in Sanctis Canonicis libris nusquam Nobis divinitus præceptum, permissum vè reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi, cavendique mali causa Nobismet ipsis necem inferamus.* Cui Sententiæ concors est Clemens Pap. III. in cap. 11. de Sepultur.

(y7) In can. 11. c. 23. q. 5. illic: *Absque eo, ubi castitas periclitatur,* (y8) In citatis capp. 18. & 19.

mus. Tanta itaque est homicidii apud Sacros Canones, venerabilesque Leges abominatio, ut *velut homicida sit censendus, ac puniendus, qui pregnantis mulieri poculum dederit, ex quo abortus sequatur, partusque pereat.*

46. Adulterii, per quod læditur proximi honor, pœnam, sive apud Hebræos dilapidationis ex Mose, (z) sive mortis cum Civilis, (a) tum naturalis (b) ex Alexandro Severo, & Magno Constantino, (c) tandem aliquandò ab Imperatore Justiniano vidimus mitigatam (d) in Monasterium detrutione, Sacris Canonibus dprobatam, (e) & licet Adulterum occidendi facultas Marito omninò sit denegata, (f) *Maritus tamen occidens Clericum in adulterio deprehensum, in Canonem Siquis suadente Diabolo, (g) non incurrit; (h) imò similiter Sponsus de futuro.*

47. Propter publicum uxoris adulterium Maritus, nedùm uxore invita, Religionem intrare potest, ibique solemniter profiteri, verùm, & illa vivente, Clericus in Sacris effici valet.

48. Non solùm in Virorum, sed etiam Monialium Monaste-

(z) Deuteronom. cap. 22.

(a) Leg. 2. ff. de Public. Judic. (b) Leg. Castitatis 9. Cod. Ad Leg. Jul. de Adulter.

(c) Leg. 30. Cod. Ad Leg. Jul. de Adulter.

(d) Novell. 134. cap. 10. (e) Cap. Consuluit, de Appellation. cap. Gaudemus, de Convers. Conjug. & cap. Intelleximus, de Adulter.

(f) Can. Admoneri, can. Quicumque, & can. Siquid c. 33. q. 2. (g) C. 17. q. 4.

(h) Cap. 3. de Sent. Ecommun.

nasteriis opulentis, vel saltem sufficientes redditus pro honesta sustentatione habentibus, si aliquid temporale ab ingredientibus exigatur, etiam sub honestæ sustentationis prætextu, committitur Simonia *Juris divini*; quum non nisi pro ipso in Religionem ingressu intelligatur exactum.

49. Sicut adstruimus, non omni Jure, sed novo tantum Decretalium, esse primum inducendum discrimen inter Censuras, Pœnas, & Impedimenta Canonica, itaut per impedimentum Canonicum solum *irregularitas* intelligatur, non *Censura*; per pœnas canonicas intelligantur, *Depositio*, & *Degradatio*, per quas Spiritualis Conjugii Vinculum dissolvitur; ac demum per Censuras intelligendæ veniant *Excommunicatio*, *Suspensio*, & *Interdictum*; (i) similiter tenemus, Depositionis discriminis in *Verbalem*, & *Actualem*, seu *Realem*, qua certi Ritus, ac Cæremoniæ adhibentur, ut depositus publicè ornatu clericali expolietur *ad aliorum terrorem*, primam mentionem, non nisi à nostro Concilio Toletano 4. Sæculo 7. celebrato, (j) fuisse factam; undè ab Eruditorum non paucis creditum est, ejusmodi discrimen ab ipso Concilio Hispano ortum habuisse suum,

50. Ad eos demum, qui Censuris possunt coerceri, proximius accedendo, statim notamus, duplicem *hominum* esse rationem; prout *homines*, vel *singuli*, atque in propria persona considerantur, vel considerantur *in communi*, atque *collectivè*, tanquam *Uni-*

*versi-*

---

(i) Cap. 20. de Verb. Sign.

(j) Can. 28, alias Can. 27.

*versitatem, vel Collegium* componentes. Hinc deffen-  
dimus, quòd licet delicta, quantumvis graviora, à ma-  
jore parte Doctorum, seu Canonorum patrata, re ap-  
se Universitatum, & Collegiorum delicta dicantur, etiam-  
si aliqui Doctores, vel Canonici minimè coierint, (K)  
nihilominùs *Doctorum Universitates, & Canonorum*  
*Collegia Excommunicationis gladio feriri non possunt,*  
(l) *quasi verò excommunicari bene possunt.* (m)

JUDICIUM qualecunque NOSTRUM in suprà traditis  
Propositionibus ostensum, SUPRÆMÆ nedùm  
CATHEDRÆ PETRI, verùm & CATHO-  
LICÆ, REGIÆque MAJES-  
TATI subjectum esto.

\*\*\*

---

(K) Ex cap. 42. de Elect. ex cap. 1. & cap. fin. de His,  
quæ fiunt à majore part. Capitul. ubi à Concil. Lateran. 4.  
*Prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quod à majori*  
*parte Capituli fuerit constitutum, &c. Statuimus, ut .... obtineat*  
*sententia plurimorum.*

(l) Can. 1. c. 24. q. 3. cap. 5. v. In Universitatem, de Sent.  
Excommun. in 6.

(m) Can. 8. c. 17. q. 4. cap. 11. de Exceptionib.

